



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Clemens E. M. 23. Ianuarij

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

heri natus ridet hodie hæreticus. Cæterum collum pedemque communibus cum nescio quo scelerato vinculis ligatus dies noctesque velut Hilaria inter cantus solemnes traduxit, ut jam ad se Cælites etiam raperet pontificali majestate & insolito splendore insignes, quos inter visus est unus aliquis odoribus (ah! qualibus?) Martyrem venerari. Igitur post altera virgarum clavæque verbera, post tibias fractas aliaque supplicia, tandem cum XL. sociis Martyrum torque, laqueo, est donatus.

Ex Surio.

Non interrogas o homo ea, quæ pateris, sed quæ Christus passus est; quanti te fecit ex his, quæ pro te factus est, agnosce. Quanto enim minorem se exhibuit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. S. Bern. serm. I. de Epiph.

S. CLEMENS E. M. 23. Ianuarij.

Triumphavit CLEMENS Præsul Ancyranus sub annum CCC. III. quando sub sacrificium (ad quod aliàs Cælites illi panem & vinum ministrarunt) ferro cecidit. Rarò tam splendide in cælo est triumphatum. Lictores labore fessi victique innumeri præcessere. Acti ante currum tyranni, Domitianus,

D 5 Dio-

58 VITÆ SANCTORUM. 23. *Idem*
Diocletianus, Maximianus, aliique non
unâ Pugnâ devicti. Præferbantur vit-
garum, flagrorum, funium, catena-
rum, fustium, taurearum, securium,
faxorum benè magnus numerus. Hinc
culei, equuleique & obelisci sequeban-
tur. Inde è ferro manus, galeæ, styli,
subulæ, ungulæ, laminae, pectines, ro-
tæ, grabati, fornaces, omnia à flammis
ignea. Ostendebantur adhæc picis, olei,
sulphuris liquati & vivæ calcis vis in-
gens, major minarum tyrannicarum,
multò maxima blanditiarum, opumque
frustrâ promissarum. Visebantur erga-
stulorum carcerumque simulachra. Ip-
sum mare captivum ducebatur, & præter
alias devictas urbes Ancyra, Nicome-
dia, ipsa adeò Roma gerebatur & trium-
phato triumphos suos erubescibat. Cur-
rum leones (pedes etiam triumphantis
lambere edocti) trahebant. Hunc secuta
innumera turba est pileata, omnes è Deo-
rum serviture in Christianam libertatem
CLEMENTIS virtute asserti. Tot cæli ci-
ves servati totidem Servatori suo coro-
nas porrigebant, addidit cælum trium-
phalem, Angeli plausum, & carmina.
Nos ignavi triumphos laudamus, & pu-
gnas hortemur. *Ex Surio.*

*Quisquis gaudes fortiter egisse Marty-
res Christi, corripe & ipse arma inter mi-
lites Christi, desunt exterius hostes? verte
arma in te, & multos seditiosos inve-
nies*

23. Ian. VITÆ SANCTORUM. 59
nies cives. Doma superbiam, jugula in-
vidiam, extingue libidinem, crucifige
carnem tuam cum vitiis & concupiscen-
tiis. B. Pet. Damian. serm. 31.

S. JOANNES ELEEMOS. 23. Ianuarij.

Cum annum ageret XV. JOANNES,
misericordia divina manifestâ in luce
sponsam se ei obtulit. Annuit continuo.
Et ratum conjugium Superi habuerunt,
dotemque addiderunt, tam opulentam;
ut semper deinde haberet, quod in
egenos effunderet. Archiepiscopus jam
Alexandrinus lustrum egit clientum
suorum, hoc est, pauperum, nume-
ravitque septies mille & quinquaginta,
quibus omnibus deinceps in singulos
dies victum subministravit. Sed nec
ulli alii piam manum unquam subdu-
xit, ut meritò id certaminis cum DEO
suscepisse sit visus, plusne hic dare, an
reddere illi posset. Munificentiam vel
ex eo vide, quod ultimum ægrotanti
unicus super teruncius fuerit vix nau-
lum morituro. Ipse in testamenti sui
tabulis reperisse ingenuè se fatetur in
æratio auri pondo octies mille, & hæc
decies millies, & amplius aucta dilapi-
dasse se in pauperes gloriatur. Anno i-
gitur D. XCII. è corporis ergastulo in
palatium abiit, quod piæ ipsius munifi-
centiæ structum in cælo Troilus vidit,
& verò